

Pr. 15. num. 45

77
DE
**DEPOSITO PECVNIAE
NVMERATAE QVA
TALIS.**

1771

18

DISSE¹²⁰²RATIO IN AVGVRALIS
EXIGENTIBVS ACADEMIAE STATVTIS
PRO LOCO
PROFESSIONIS IVRIS ORDINARIAE
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
PRAESES
WILHELMVS BERNHARDVS IESTER,
I. V. D.; S. R. M. IN IUDICIO CRIMINALI CONSILIARIVS.
RESPONDENTIS OFFICIO SATISFACTVRVS EST
IVVENIS INGENIO ET VIRTUTE ORNATISSIMVS
ELIAS HENRICVS BüTTNER, REG. BOR. I. V. C.
H. L. Q. S. D. V. APRIL. CLO IO CC LXXI.

OPPONENTIVM SPARTAM ORNATVRI SVNT
IVVENES LECTISSIMI ET PRAESTANTISSIMI
GEORGIVS WILHELMVS SCHREIBER, REG. BOR. I. V. C.
IOANNES THEOPHILVS KELCH, REG. BOR. I. V. C. ET
IOANNES FRIDERICVS REHE, WELAW. BOR. I. V. C.

REGIOMONTI,
STANNO REGIAE AVLICAE ET ACADEMICAE TYPOGRAPHIAE



*AUGVSTISSIMO
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO II.
REGI PRVSSORVM,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHI CAMERARIO ET ELECTORI,
SVPREMO SILESIAE DVCI,
ETC. ETC. ETC.
PATRI PATERIAE CLEMENTISSIMO,
REGI AC DOMINO SVO,*

*has munieris academiei recens collati primitias,
iunctis gratibus deuotissimis, subiectissima
mente, manuque consecrat*

WILHELM. BERNHARD. IESTER.



Statuta Academica requirunt dissertationem
publice ventilandam, ante quam mihi
designato Professori Iuris inter Anteces-
sores locus conceditur, suspenso interim
iure quoconque ex munere clementissime
mihi demandato competente. Instat
vero semestre, et quae mearum partium sunt, lectiones
publicae, quam primum inchoandae sunt. Angusti tem-
poris cancelli, quibus me circumscriptum sentio, impedi-
mento fuere, materiae quam selegi, penitus expoliendae.
Sed consultius duxi, in schediasmate subitaneo et interi-
nistico pietatis monumentum ponere, quam ostentandae
doctrinae occasionem anxie circumspicere. Meliora v. D.
T. O. M. propediem spondeo.

A

§. I.

§. I.

DEPOSITVM est contractus realis, initus ob gratuitam custodiam rei traditae, ac pro lubitu tradentis restituendae.

§. 2.

Omnia, quae ad depositum spectant, requisita enumerare, superuacaneum esset. In primis quae omnibus contractibus communia sunt, et hic in censum veniunt. Deinde depositum est contractus realis. Contractus reales substantiam accipiunt ex traditione rei, quae ad finem, cur contrahatur, accommodata esse, et pro diueritate ipsius conuentionis, mox ad bene placitum dantis, mox non nisi post lapsum determinati cuiusdam temporis restitui debet. Hinc ea tantummodo, quae differentiam specificam inter depositum, et caeteros contractus reales efficiunt, inuestiganda sunt, ut inoffenso pede in materia, quam selegi, progredi liceat. Requiritur vero

I.) Ut finis primarius huius conuentionis sit gratuita rei cuiusdam custodia, sive gratuita cura accidentis, ut res eius fidei commissa, salua sit. L. 1. pr. D. depositi vel contra. Non omne negotium cui custodiae praestandae obligatio cohaeret, depositi nomine insigniri potest. Principaliter id agi debet, ut res custodiatur. Sic VLPIANVS in L. 30. ad edictum: *Mandatum quod custodiae legem habet, a deposito disiungendum esse, follicite inculcat.* L. 1. §. 12. et 13. D. depositi vel contra. Custodia denique, quae principaliter et per se intenditur, gratuita esse debet. L. 1. §. 8. et 9. eodem.

II.) Ne-

II.) Necesse est, vt res deposita, ad libitum eius, qui illam tradidit, restituatur, et quidem illud ipsum, quod depositum est, restitui oportet. *J. 3. I. quibus modis re contrahitur.*

§. 3.

Omnia conuentionis momenta, vel ad essentiam eius, vel ad naturalia, vel ad accidentalia referenda esse, inter omnes constat. Eademi de deposito valent. Quae a me recensita sunt, essentiam deposito conciliant. Hinc nullo modo tolli et remoueri possunt. Quae praeter ea essentia libus iunguntur, ex. gr. vt res in specie restituatur, vt vſus rei depositae, depositario non competit, ad naturalia spe cant, quae vt plurimum adsunt, quo minus remoueantur nihil obstat.

§. 4.

Mihi de pecuniae deposito differenti, neutiquam obvia est notio pecuniae genericā, quān suppeditant PAV LVS, CELSVS, VLPIANVS, et HERMOGENIA NVS; LL. 5. 88. 97. 178. 222. D. d. V. S. quippe cuius ambitus tam late patet, vt omnes res patrimonio nostro subiectas, tam soli, quam mobiles, tam corpora, quam iura sub se comprehendat. Meditationibus meis potius se sifit pecunia numerata; nummus; res, quae ad id destinata est, vt in commercio aliarum rerum vice fungatur, vt determinet cuiuscunq; rei valorem, et quanta sit eius utilitas, vt ne difficultas permutationis eius interuentu sublata, obstat, quo minus suaे quilibet prospiciat indigentiae. *L. 1. pr. D. de contrabenda emtione.*

A 2

* In

* In nummis tria spectantur:

1) MATERIA; nucleus; Korn; Gehalt; portio mé-
talli nobilioris, et admixti aeris. Circa materiam et

ponderis ratio habenda est: Schrot. Quae esse debet
metallorum proportio, quae ponderis quantitas, deter-
minat modus pecuniae: Münzfuß.

2) FÓRMA; Character; Charagma; figura nummi, quae
etiam moneta dicitur. Moneta scilicet mox formam,
mox locum, in quo nummus eundit, mox nummum
ipsum designat. Conf. CAROLI ANNIBALIS FABROTL.
*Itci replicatio adu. Cl. Salmasi refut. in qua mutuum
alienationem esse ostenditur. In THES. IVR. OTTONIANO,
Tom. III. p. m. 1256.*

3) FACULTAS, *sive QVANTITAS*, in qua determinan-
da, vtrum ad bonitatem alterutram, vel *intrinsecam*,
quae ex materia et pondere aestimatur, vel *extrinsecam*
(valorem impositum; die Würdigung, *Valuation der
Münzsorte*,) an ad utramque respiciendum sit, non-
dum extra dubitationis aleam positum esse videtur. In-
primis haec quaestio exercet eruditos, quorum actas in-
cidit in tempora, variis, quoad rem monetariam vicis-
tudinibus obnoxiam. Conf. GEORG. SAM. MADHN Tr.
ffensens causam debitoris, circa pecuniae solutionem, mu-
tato post contractum nummorum valore. IOMAN. LUDOV.
SCHMIDTS Abhandlung der strittigen Rechtsfrage:
Zu was vor Münzsorten ist eine Geldschuld abzu-
tragen?

§. 5.

Pecunia numerata, si usum communem et finem re-
spiciam, quem ex primaria sui destinatione habet, refe-
renda

renda est ad res utilitati nostrae inseruentes, si in solo suo genere ut existentes considerantur, nullo habito respectu ad specificas illarum determinationes; ad res de quibus valet axioma: Tantundem ex eodem genere est idem, in relatione scilicet ad nostrum patrimonium; ad res quae dupli sensu, et quia in genere functionem recipiunt, et quia vnu consumuntur, fungibles dicuntur. Non quidem genus sine speciebus existit, sed ratio aestimationis, quam hic vel ille nummus in specie habet, non latet, in determinationibus eius specificis, i. e. individualibus, sed in determinationibus, quae omniibus nummis huius generis communes sunt. **CVIACIVS IN OBSERVAT. L. XI.**

cap. 37.

* Res fungibles sunt, quae vnu consumuntur, vel minuuntur.

Illis tantum rebus, quae vnu consumuntur hoc proprium est, ut possint in solutione permutari, sive ut in genere suo functionem recipiant. Difficile hoc de rebus quae vnu tantum minuuntur, ex gr. de vestibus praedicari potest, non tamen penitus ex classe rerum fungibilium, easdem excludendas esse, censeo. *Conf. AVG. FRIEDER. SCHOTTII OPUSCULA, et quidem Diff. de usufructu vestimentorum, ex voluntate constituentis, vel vero vel quasi tali. Eiusd. prolusio, qua res, quae functionem recipiunt, definiuntur.*

§. 6.

Nihil obstat, quo minus res, quae ex primaria sua destinatione, non nisi generis respectu aestimationem habet, ex accidenti domino ob quasdam determinationes individuales, accepta et in deliciis sit, vel ob quamecumque aliam rationem in specie considerata in censum veniat. Eadem nummorum ratio est. Hinc diuerso modo in obli-

A 3

gati-

gationem [deduci possunt 1) vt pecunia numerata, 2) vt merx sive vt corpus, L. 30. §. 6. et L. 51. D. de Legatis I. vbi sermo est, de legato pecuniae, quae in arca est. In hoc casu non pecunia numerata, sed ipsa corpora nummorum continentur, neque permutationem recipiunt, et exemplo cuiuslibet corporis aestimanda sunt. In primis vero hoc de nummo peregrino valet, donec publico vsu, vt pecunia numerata recipiatur. Conf. GERH. NOODT probab. Libr. 4. Cap. 4. ad legem ultimam D. de cond. causa data, causa non secuta, de qua ICtorum Coriphaeus Ill. van BYNKERSHOECK testatur: secula esse, ex quibus lex allegata interpretum Graecorum Latinorumque industrias occupauit. Obs. I. Rom. Libr. VI. cap. 24. Conf. etiam ABRAH. WIELING. Lection. I. Ciu. Libr. II. cap. 4.

§. 7.

Si quis nummos iure dominii possidet, dominium magis ex quantitate, quam ex substantia aestimatur. Hinc duplex mente concipi potest proprietas nummorum; altera principalis, quoad quantitatem, altera minus principalis, quoad materiam. Ut sic statuam iubet auctoritas PAVLI in L. I. D. de contrahenda emtione, suadet mos POMPONIO et PAPINIANO solennis, cogitandi quantitatem in pecunia, absque corporibus. L. 19. §. 2. in fin. D. de conditione indebiti. L. 94. §. 1. in fin. D. de solutionibus. Si numini in tertium sub obligatione tantundem restituendi, transferantur, necesse quidem est, vt et corpus nummorum, et quantitas his ipsis corporibus inhaerens, transferatur. Quatenus tamen pecunia in genere functionem recipit, et tantundem idem est, sive eadem ipsa quantitas, absque omni eius deminutione restituatur, etiam si alia eius-

eiusdem generis corpora nummorum restituantur, ob ar-
ctissimam tantundem restituendi obligationem, et quia se-
cundum Legem 15. D. de R. I. qui actionem babet, ad rem
recuperandam (in casu, ad tantundem) rem ipsam (tantun-
dem) habere videtur; non nisi corpus nummorum alienari,
quantitatis dominium e contra penes dantem remanere vi-
detur. Hinc praeente VPLIANO, L. 55. D. de solutione
nummi non alienantur, qui sic dantur, ut recipientur, hinc
teste eodem ICto in L. 213. §. 1. D. de verborum significati:
aes alienum est, quod nos alii debemus; aes suum est,
quod alii nobis debent. Haud ignoro difficultates, quae
hanc premunt thesin. Quantitas non existit deficientibus
nummorum corporibus, et aestumatio, remota re aestu-
menda, ne mente quidem concipi potest. Accedit, quod
rei vindicatio, quoad nummos alteri sub conditione tan-
tundem restituendi datos admitti nequeat. Dominium
enim illorum, respectu ad nummorum materiam habito,
desit, quia omni iuri, quod olim in corpora data compe-
tebat, renunciatum est; quoad quantitatem vero corpori-
bus traditis inexistentem, et cum illis translatam, non
nisi ius in personam tantundem exigendi competit. Sed
salua res esse videtur. Quantitas siue publica pecuniae
aestumatio, ad instar rei corporalis quae tangi potest,
nunquam existit; semper tantummodo intelligitur. Haec
enim affectio omnibus rebus, quae incorporales dicuntur,
communis est, et in primis ad pecuniae quantitatem qua-
drat. Nihilominus PAVLVS l. all. huius quantitatis
dominium et quidem ut principale a dominio corporum
minus principali disiunctum admittit, contra iuris anti-
qui, dominium rei incorporalis ignorantis, principia.
Quid vero, si PAVLVS hunc dominii respectum tantum-
modo

modo admittat, quoque ipsa corpora, de quibus quantitas praedicatur, non sunt alienata? Dubium leue. Nonne etiam facta alienatione is, qui iure tantudem exigendi gaudet, de ipsa quantitate debita, experientia quotidiana teste, donando, cedendo, eandem alio modo transferendo disponit. Negabunt forsitan, qui hocce a solitis placitis diuortium reprehendendum esse censem, creditoris de quantitate ipsa dispositionem, cum potius de iure exigendi quantitatem disponere videatur. Ius ad rem enim, ut res incorporalis in bonis aliquius constituta in tertium, (saltem in regula) transferri et sic de eodem disponi potest. Exinde vero non sequitur, quod de re ipsa, quae huius iuris obiectum est, disponatur. Concedo, si res cuius intuitu nobis ius in personam competit, adhuc per factum personae obligatae, ad rō nostrum referenda est. Tunc enim de re ipsa nulla valet dispositio, sed tantummodo de iure ad rem. Si e contra res iam nostra est, et ius in personam concernat tantummodo factum personae obligatae, circa rem nostram ex. gr. eius restitutionem, tunc si ius nostrum in tertium transferamus, et de re ipsa, et de iure in personam dispositio nostra explicanda est. In casu proposito LL. quantitatem debitam ad aes suum creditoris, quippe qui intuitu quantitatis nihil alienasse videtur, referunt, et ius in personam, pro obiecto habet, eius restitutionem et sic factum debitoris circa rem, quae iam creditoris est. Hinc dispositiones, quibus exempli gratia creditor ius suum in tertium transfert, et de quantitate ipsa et de iure in personam explicande sunt. Cessat quidem, vindicandi ius, sed non nisi ob naturam obiecti, quia quantitas debita non determinatis inhaeret corporibus, sed in quibuscumque nummis, qui cum datis atque consumtis, eius-

eiudem generis sunt, praestari potest. Sufficit, quod quantitas restituenda aes suum creditoris audiat. Quibus corporibus inexstat, ignoratur, hinc deficit ius vindicandi. Donec enim debitor nominis expungendi ergo determinata tradat nummorum corpora, species frae res individualiter determinata, que posset vindicari, cessat. Saepe pessime contingit, ut vindicatio cessaet quoad ipsam rem corporalem, ob ignorantiam, vbinam locorum sit. Similis fere hic ratio esse videtur. Hinc non valide concluditur, a cessante vindicatione, ad cessans rei dominium. Non ignorantur dominia diuersimode per legem, conventionem vel testatoris voluntatem restricta, iam occurrit casus, vbi natura rei dominium limitibus circumscribit, qui alias incogniti sunt. In genere sufficit, effectus domini adesse, quorum res per suam capax est naturam ingenuamque indolem. In hoc casu ius exigendi quantitatorem, indiuulso nexu cohaeret cum iure disponendi de ipsa quantitate perinde ac de quacunque alia re, quae iam acquisita est. Hinc nihil obstat, quo minus lare consulti quantitatem sumant, ut rem existentem et dominio eius, qui eandem exigendi ius habet, obnoxiam; quamvis demum ex facto personali debitoris per subministracionem nummi determinati, suum nanciscatur obiectum determinatum, cui eandem re vera et actu inhaerere et inexistere iam constat. Fere quadrat et hic, quae PAVLVS de seruitutibus docet, easdem nec in bonis, nec extra bona esse. Lxx. I. D. de vnu et vnufructu, per legatum vel fideicommissum datis. GERHARD NOODT probab. Iur. Libr. II. cap. 3 Quantitas virtualiter non est in bonis, non est in dominio, non tamen est extra bona, quatenus animo, ut existens concepi potest. Eu B. L. Paradoxa; sed quae in LL. latere et defensionis periculum mereri videntur.

B

* No-

* Notissima est controversia, de quaestione, *vtrum mun-
tium sit alienatio, nec ne?* De historia eiusdem conf.
elegantissimus BACHIVS et quidem eius *unpartheyische
Kritick über Juristische Schriften, IVter Band istes
Stück, pag. 64.* Mihi pro dickerio respectu *vtrumque
verum videtur, quod iam ex ipso opere colligi potest.*

§. 8.

Obiectum depositi saepissime est pecunia, quippe
quae custodiā admittit. Hanc dominus ipse non semper
adhibere potest. Hinc ad amici eiusdam fidem confu-
giendo, et rem eius curae concordando, efficit, ne pereat,
sed salua sit. Duplici in primis modo hoc contingit. De-
ponitur pecunia vel in specie ad instar mercis, vel in quan-
titate, ut pecunia numerata. Si mercis ad instar pecunia
interueniat, quia forsan corpora nummorum quoad in-
dividuales determinationes, deponenti in deliciis sunt,
ex. gr. si secundum L. 29. pr. D. depositi, sacculum vel ar-
gentum signatum, deponitur, nihil singulare occurrit,
quod ad propositum accommodatum esset scopum. Con-
tantummodo PAVLI iurisprudentia in *allegata l. 29.* se-
cundum quam et depositi et furti actio in depositarium
competit, si signa reuellat, et pecunia utatur. Obsignatio
enim indicat animum deponentis, ut eadem corpora
nummorum recipere velit. Et sic per singula capita,
quaecunque iuris sunt, circa depositum in specie reddend-
um, et hic obtinent. Vbiique eadem sunt iura, eadem
obligationes. Si e contra pecunia numerata qualis talis de-
ponitur, tunc res notissimos depositi terminos egreditur.
Obiectum eiusmodi depositi est quantitas, cuius domini-
um penes deponentem remanere, quae tanquam res ad

deponentem spectans custodiri videtur. Reuera enim obtinet deponens finem, vt quantitas salua maneat, in quo custodiae cardo vertitur. Quamuis enim corpora, quibus haec quantitas inhaerebat, consumantur, tamen ex instanti consumptis corporibus alia corpora, quibus eadem quantitas inhaeret, substitui possunt, hoc effectu, vt corpora nummorum data ne quidem consumpta esse, sed in specie restitui videantur.

§. 9.

Duplicem, quem indigitai, pecuniam deponendi modum, non fingi, sed vsu venire, leges luculentissime euincunt. Principem inter easdem locum occupat L. 31. *D. locari conducti*, quam illustrissimus van BYNKERS-HOECK in exquisitissimarum obseruationum libro VIII. cap. 2. per singula membra egregie illustrat, et luce longe lateque resplendescente circumfundit. Continet lex all. fragmentum EX ALFENI VARI Dig. a PAVLO epitomatis, quod, (etiam si POMPONII auctoritas L. 2. §. 44. *D. de O. I.* deficeret, qui ALFENVUM inter SERVII SVLPITII RVFI auditores cum OFILIO plurimum auctoritatis habuisse testatur,) per subtilitatem argumenti, solida exornati doctrina, sat superque demonstrat, ALFENVUM, qui olim teste GV.PANZIROLO de claris LL. Interpret. Libr. I. cap. 20. sutrinae addictus fuit, vltra crepidam sapuisse, et Themide haud inuita ad Ius Ciuale accessisse. Verba legis, quae propositam attingunt materiam, sunt sequentis tenoris: "In nauem Saufei cum com-
" plures frumentum confunderant, Saufeus vni ex his fru-
" mentum reddiderat de communi, et nauis perierat: *Quae-*
" *situm est, an caeteri pro sua parte frumenti, cum nauta*

"agere possunt oneris auersi actiones? Respondit, rerum lo-
 "catorum duo genera esse: ut aut idem redderetur, sicut
 "cum vestimenta fulloni curanda locarentur; aut eiusdem
 "generis (redderetur) veluti cum argentum pusillatum fabro
 "daretur, ut vasa fierent, aut aurum, ut annuli: ex su-
 "periore causa rem domini manere: ex posteriore, in cre-
 "ditum iri. Idem iuris esse in deposito: Nam si quis pecu-
 "niam numeratam ita deposuisset, ut neque clypeo, ne quo-
 "dum ob signatam traderet, sed adnumeraret, nihil aliud cum
 "debere, apud quem deposita esset, nisi tantundem pecuniae
 "solueret: Secundum quae videri, tritum factum saufeti,
 "et recte datum. Quod si separatis tabulis aut heronibus,
 "aut in alia cupa clusum unius cuiusque triticum fuisset, ita
 "et internosci posset, quid cuiusque esset: non potuisse nos
 "permutationem facere, sed tum posse eum, cuius fuisset
 "triticum, quod nauta soluisset, vindicare: et ideo se im-
 "probare actiones oneris auersi: quia siue eius generis essent
 "merces, quae nautae tradicerentur, ut continuo eius fierent,
 "et mercator in creditum iret, non videretur onus esse auer-
 "sum, quippe quod nautae fuisset, siue eadem res, quae
 "tradita esset, reddi deberet, furti esse actionem locatori,
 "et ideo superuacuum esse iudicium oneris auersi. Sed si ita
 "datum esset, ut in simili re solui posset, conductorem cul-
 "pam duntaxat debere, nam in re, quae utriusque causa
 "contraheretur, culpam deberi: neque omnimodo culpam
 "esse, quod uni reddidisset ex frumento, quotiam alieni pri-
 "mum reddere eum, necesse fuisset, tametsi meliorem eius
 "conditionem faceret, quam caeterorum." In regula loca-
 "tio dominium non mutat, secundum l. 39. Di locat. Non
 solet locatio dominium mutare, ex gr. si domus locatur, si
 fulloni vestimenta curanda, i. e. polienda, lauanda dantur,
 cons-

constituta, pro adhibitis operis certa mercede. Tamen datur locationis species, ex qua dominium transit, quam interpres anomalam, sive irregularē vocant, ex gr. prouoco ad argentum pustulatum, (quod SVETONIO et MARTIALI pustulatum vel postulatum dicitur, quia solet, argentum merum in coquendo in pulsulas adsurgere; auf der Capelle geldäutert; CVIACII obs. et emendat. lib. VII. cap. 40;) si fabro datur, vt vas, vt aurum, vt annuli siant, nulla tamen stabilita necessitate, vt annuli praecise, ex eodem auro, ex eodem argento siant. Respicit in primis distinctione legis locationem conductionem operis, et quidem (si abstrahamus a casu frumenti in nauem Saufiī a pluribus confusi, cuius decisioni lex in primis destinata est) locationem eiusmodi, vbi per operas, locator operis et conductor operarum intendit specificationem materiae suae, quam aurifex concredidit. Duplici modo materia in aurifabrum transferri potest, vel vt eandem, quam accepit auri vel argenti massam, operi expoliendo adhibeat, vel similem, eiusdem quantitatis et qualitatis. In casu priori dominium auri et argenti haud mutatur; in posteriori aurifex sit dominus materiae, et sic partes in creditum ire censentur. Non quidem exinde mutuum exoritur, nam rō illud in creditum ire, latissimum admittit ambitum; accedit, quod lex ipsa, quae partes in creditum ire supponit, hunc actum iuridicum ad locationis genus referat; quamvis plurimum de munio partcipet. Idem furis esse in deposito ALFENVS testatur, et pecuniae numeratae mentionem iniicit. Hinc etiam pecunia numerata, deponi potest, vel vt in specie, vel vt eiusdem generis reddatur. Quare ex superiori causa rem domini manere, et pecuniam vt speciem, vt corpus interuenire;

in posteriori casu in creditum iri et pecuniam numerataam,
qua talem, intuitu cuius tantundem idem est, depositam
esse, statuo, ita tamen ut in hoc casu (perinde ac in
illo, locationem respiciente,) depositum maneat, nullum
exoriatur mutuum.

§. IO.

Secundum locum, in quo thesis confirmatur, exhibet l. 24. D. depositi : "Lucius Titius Sennpronio salutem.
"Centum nummos, quos hac die commendasti mihi, adnu-
"merante seruo Sticho actore, esse apud me, ut notum ha-
"beres, hac epistola manu mea scripta, tibi notum facio.
"quae quando voles, et ubi voles confessimi tibi numerabo.
"Quaeritur, propter usurarum incrementum? Respondi,
"depositi actionem locum habere; quid est enim aliud com-
"mendare, quam deponere? quod ita verum est, si id actum
"est, ut corpora nummorum eadem redderentur: nam si, ut
"tantundem solueretur, conuenit, egreditur ea res, depo-
"sitii notissimos terminos. In qua quaestione, si depositi actio
"non teneat, cum conuenit, tantundem non idem reddi, ra-
"tionem usurarum haberet, non facile dicendum est. Et est
"quidem constitutum in bonae fidei iudicis, quod ad usuras
"attinet, ut tantundem possit officium arbitri, quantum si-
"pulatio: sed contra bonam fidem, et depositi naturam est,
"usuras ab eo desiderare, temporis ante moram, qui benefi-
"cium in suscipienda pecunia dedit: Si tamen ab initio de
"usuris praestandis conuenit, lex contractus seruabitur."
Sermo est de nummis, quos alter alteri commendauit,
sive de nummorum deposito, commendare enim, secun-
dum ICti asserta est deponere. Accedit promissum Lucii
Titii, de nummis, quos commendatos acceperat, ad be-
nepla-

neplacitum Sempronii confessim exsoluendis, quod quam
maxime ad finem depositi est accommodatum. Quaestio
ICto proposita, cum non sit satis determinata, si con-
iecturari licet, resolvi potest, in quaestiones sequentes.
1) Vtrum ob nummos commendatos, actio depositi com-
petat. 2) Vtrum vsurae debeantur. Hinc commendato-
rum nummorum duplarem Iuris consultus ponit inspec-
tionem, vel enim actum est, ut corpora nummorum eadem
reddantur, vel ut tantundem soluatur. Si prius, pecunia
ut alia quaevis species deponenti ob determinationes suas
individuales in deliciis est, et tunc quaestio de usuris
cessat. Si enim eadem nummorum corpora ad beneplaci-
tum deponentis restituи debent, omnis usurarum ratio ces-
sare videtur. Hinc posthabita, quoad hunc casum pri-
mum quaestione de usuris, Iure Consuleus simpliciter
respondeat, quod actio depositi locum habeat. Depositum
enim adest omnibus suis numeris absolutum. Si poste-
rius, non nisi in genere pecuniae ratio habetur, nummo-
rum corpora fiunt depositarii, salvo deponentis iure exi-
gendi, ut eadem quantitas, etiam si aliis corporibus in-
haereat, restituatur. Quoad hanc inspectionem ICti
decisio potissimum quidem se ad usurarum refert incremen-
tum, ita tamen, ut implicite et aliam de depositi actione
quaestionem tangat, illamque affirmet. Afferit enim 1)
quod res depositi notissimos terminos egrediatur; negat
porro 2) usuras in regula deberi, nisi mora adsit vel con-
ventio. Duplicem regulae ipsius rationem allegat, quia
primo contra bonam fidem, secundo, contra depositi na-
turam est, usuras ab eo desiderare, qui beneficium in-
fuscienda pecunia dedit. Ex depositi natura vero ra-
tiones, cur usurae deficiente mora et conuentione peti-

nequeant derivare, et tamen depositum non admittere, contradictorium esset. Simul ac vero depositum adesse statuamus, nulla amplius de actione depositi quaestio superesse potest. Obstare quidem videntur verba *L. allegat.* "In qua quaestione, si depositi actio non teneat, rationem usuarum haberi non facile credendum est," sed quae in responsis dubitataer et suspenso quasi iudicio proponuntur, si enodatior in subsequentibus occurrat decisio, neminem morantur. Idem dicendum de alio huius legis passu: "Quod ita verum est, si id actum est, ut corpora nummorum eadem redderentur, nam si ut tantundem solueretur connenit, egreditur ea res depositi notissimos terminos." Tantum enim abest, ut Iure Consultus neget depositum in eiusmodi casu obtinere, ut potius tantummodo declareret, nummos ita commendatos, notissimos depositi terminos egredi, i. e. adesse quidem depositum, sed tale, quod non seruet naturalia. Naturalia enim sublata, non tolluat ipsum negotium, cuius sunt naturalia. GERH. NOOD'T *de pact. et transact. cap. 19.* Accedit, quod idem Iure consultus in lege 25. §. 1. D. depositi, affirmet, in tali casu, depositum adesse: "Qui pecuniam apud se non obsignatam, ut tantundem redderet, depositam, ad usus proprios convertit, post moram, in usuras quoque iudicio depositi, demandandus est." Sermo est, de nummis non obsignatis, alteri ut tantundem restituat, custodiae ergo et sub titulo depositi traditis. Lex ipsa pecuniam vocat depositam, et admittit iudicium depositi. *Conf. denique L. 26. §. 1. D. depositi:* "Lucius Titius ita cauit. Suscepit, habeoque apud me titulo depositi supra scripta denarium argenti decem milia: meque ad praescriptum omnia praefaturum, et promitto, et profiteor: Conuentione scilicet inita, ut quo-

* quoad omne argentum reddatur, in singulos menses singulas-
" que libras, vſurārū nomine, quaternos tibi obolos sub-
" ministrē. Quaero, an vſurāe peti possunt? Paulus re-
" spondit, eum contractum, de quo quaeritur, depositae pe-
" cuniae modum excedere: ideo secundum conventionem vſu-
" rae quoque actione depositi peti possunt." Promissum L.
Titii de vſuris soluendis, sat superque indicat, in hocce
deposito, id actum esse, ut tantundem reddatur. Vſurae
enim se referunt ad vſum pecuniae, qui concepi nequit,
niſi corpora nummorum eius fiant, qui vſuras soluit. Con-
firmat ipſe PAVLVS noſtrā theſlin. Primo enim hunc
contractum pecuniae depositae modum excedere defendit;
(loquutio ICto noſtro familiaris, ex. gr. in lege 5. ſ. 4 D.
praefr. verb. Potq̄ mandatum ex pacto naturam ſuam ex-
cedere.) Deinde, actioni depositi locum eſſe statuit.

§. II.

Non dubito fore plerosque, qui statuant, nummis
alteri sub lege tantundem restituendi traditis, nunquam
depositum, ſed mutuum addeſſe, ſaltē vtrumque negoti-
um pari paſſu ambulare, non niſi nomine tenus diſſerre,
et ſic omni vtilitate deſtitutum eſſe, ſi adeo ſcrupuloſe a
ſe inuicem ſeiungatur. Sed attendo ad intentionem
eius, qui tradit principalem, aſſerendum eſſe videtur,
mutuum et depositum pecuniae numeratae qua talis,
quānūis quoad effectum et conſectaria in plurimis articulis
ſimillima ſint, tamen a ſe inuicem re ipsa, non nomine
diſſerre. In muſuo intentio principalis eſt, ut nummi,
ſub obligatione tantundem restituendi, ad certum ut plu-
rima et definitum tempus fiant debitoris. Niſi credi-

C tor

tor vel misericordia motus debitori succurrendum esse existimaret, vel cum hodie negotia foeneratitia in usu sint, commodis rei suae familiaris prospicere vellet fœnus exercendo, nummos sane retineret, quia eosdem in arca seruare, quam fidei alterius committere, nisi necessitas aliud suadeat, expeditius est. In deposito finis principialis est custodia nummorum, a depositario gratis praestanda. Acquiesceret deponens, impedita propria pecuniae cura, etiam si depositarius nummos non in quantitate, sed in specie deponi pateretur. Potissimum enim, ut de sorre deponenda securus sit, in votis habet. Hinc quamvis conuentio accedat, quae efficit, ut depositum notissimos sui terminos excedat, tamen sufficit, si essentialia ubique salua sint. Custodia illaque gratuita, restitutio denique eius, quod depositum est, ad beneplacitum deponentis, cardinem rei absoluunt. Consulamus ICtorum Principem GERH. NOODT in Tractatu de Pactis et Transf.

Cap. 19. "Sane qui deposita pecunia est tantundem exacturus, et concedit eius custodiā et consumptiōnē, et si non directo sed per consequentiā. Igitur adhuc valebit hoc pactum iure depositi, quia principalis contrahentium finis est, ut custodiatur pecunia. Et quamvis deposito corpore, non finiat depositi forma, id a depositario consumi et mutari, quod habet functionem suam in specie, tamen si quantitas deponatur, hoc pacto, ut tantundem reddatur, aliud obtinuit, eo quod quantitas non suo corpore est sua quantitate aestimatur, nec interest deponentis, virrum pecunia deposita in specie reddatur, an alia, eiusdem generis et quantitatis. Quin hic videtur idem, quod depositum est reddi, ubi tantundem redditur."

§. 12.

§. 12.

Diuerso modo inter contrahentes, de deposita pecunia conueniri potest, ut tantundem restituatur; 1) expresse et tacite. Conuentio tacita supponit facta concludentia, i. e. non dubiae interpretationis, ex quibus nihil aliud sequitur, quam quod exinde dederetur. Pecuniam neque ob signatam neque clausam depositario tradere, sed annumerare, ceteris paribus, pro eiusmodi facto haberi potest. L. 15. §. 1. D. depositi. L. 31. D. locati. 2) pure et sub conditione. Mihi sermo est de conuentione eiusmodi pure inita.

§. 13.

His praemissis adhuc singularia quaedam circa depositum pecuniae numeratae, qua talis, delibanda sunt 1) Numimi, quos depositarius accipit, eius fiunt. Dominum quantitatis quidem penes deponentem remanet, saltem remanere videtur, quia eadem quantitas restituenda. Corpora ipsa vero, quibus haec quantitas inhaeret, iure pleni dominii in depositarium transeunt. Hinc facultas iisdem pro libitu utendi, extra dubitationis aleam posita est; hinc periculum non ad deponentem, sed ad depositarium spectat; omnis etiam de gradu culpae, quam depositarius praestat, quaestio inanis est.

§. 14.

Quae cum ita sint, fieri potest, ut praeter spem et opinionem beneficium, quod depositarius deponenti praestat, sibi meti siat exitiosum. Quid si pecuniam ante quam depositarius eadem videntur, subduci contingat? nec in hoc casu a periculo liberandus videtur. Nulla quidem

C 2

lex,

lex, huius theses veritatem directo expressisque verbis confirmat, sed analogia juris, ut sic sentiam, iubet.
 a) Non nisi quantitatis debitor est eiusmodi depositarius, quantitatem vero non perire inter omnes constat. Cui-eunque b) res, in genere functionem recipiens traditur, sub conditione, ut non eandem speciem, sed tantum resstituat, is a momento traditionis speciei dominium nanciscitur, hinc speciei etiam periculum subit. De creditore, qui pecuniam mutuo accepit, hoc extra dubitationis aleam positum est, quamvis casus, per quem res tradita perit, sit mere fortuitus, et statim post nummos acceptos contingat. Si aurifabro aurum vel argentum datum sit, ut artem noui corpusculi creatricem adhibeat, sed ita, ut corpusculum non praecise ipsam massam materiae datae, sed similem eiusdem quantitatis et qualitatis contineat, vix per exceptionem, quod massa argenti auriue data, deperdita sit, casum fortuitum in conductorem operae suae deuoluit. Nam ex momento, quo materiam accepit, eius dominus factus est; quod probo argumento legis 34 D. de auro arg. leg. secundum quam, si pater familias, vxori aurum suum legasset, non debetur aurum, quod artifici faciendum dedit, mutato quippe dominio. Quam legem, quae est fragmentum ex QVINTO MCVIO desumptum, egregie illustrat POMPONIVS verbis.
*"Quodsi aurum dedit artifici, ut tamen non ex eo auro fieret
 "sibi aliquid corpusculum, sed ex alio, tunc quatenus dominium
 "transit eius auri ad aurificem, quippe, quasi permutatio-
 "nem fecisse videtur, - et hoc aurum non transit ad vxorem."*
 Confer. dispunctor ad Merillum sive de variantibus Cuiacii interpretationibus in Libr. Dig. Dispunctiones 53. Auctore OSIO AVRELLIO anteceſſore in Theſauro Ottoniano, Tom. III.

III. p. m. 766. Dissentit quoad thesin ipsam *III. LEYSE-RVS in Med. ad Pand. Sp. 176. M. 4.* Sed res cum bona gratia inter nos componi posse videatur. Sententiae eius calculum adiicio, si usus pecuniae depositae non pure sed conditionate concessus sit.

§. 15.

Obstare videtur, *L. 31. D. locat. cond. (§. 9.)* Saufieus sit continuo dominus tritici a pluribus in nauem confusi. Nihilominus Alfenus eundem a casus fortuiti praestatione liberare videtur verbis: "Si ita datum est, ut in simili re solui possit, conductorem culpam duntaxat debere." Sed difficultas non adeo magna est, vt de omni eluctandi medio desperem. Similitudo casuum non est ultra tertium comparationis extendenda. In casu tritici a pluribus in unam eandemque nauem confusi, Saufieus sit dominus non simpliciter, sed tantummodo eatenus, quatenus valide in restitutione tritici, quod non nisi transuehendum conduxit, grana ab uno mercatore concedita, cum granis ab altero datis permutare potest, ita ut obligationi satisfiat, si tantummodo unicuique quantitatem tritici, quam naui imposuit, restituat, etiam si alia grana pro aliis reddat. Nemo mercatorum ea ipsa grana, quae intulit vindicare potest, internosci enim nequeunt. Ergo hoc respectu dominio eius, quod intulerunt, renunciasse censentur. Nulla etiam est inter mercatores communio, quilibet proprio potius coequi personali iure gaudet exigendi, ut Saufieus quantitatem acceptam restituat. Saufieus e contra ius permutandi grana habet; unicuique non illud ipsum, quod dedit, sed tantudem restituit; hinc dominus esse censetur, respectu scilicet ad singulos habito.

bito. Intuitu omnium mercatorum si simul in censum veniant, adhuc est debitor speciei, quia cuilibet, suam quantitatem, non ex toto tritici genere, sed ex communiaui infuso tritici aceruo, et sic partem acerui restituit. Simulac vero dominus, est debitor speciei, easum non sentit, sed valide in illum periculum deuoluit, cui speciem vel eius partem debet. *Conf. STRYCK. Vf. Modern. Pand. ad tit. locat.* Alia vero est ratio, si alicui necessitas incumbat, tantundem simpliciter restituendi, ex vniuerso rerum genere, ad quas res tradita spectat.

§. 16.

II.) Quoad usuras simulac fundamentum usurarum adest; easdem depositarium debere, omni caret dubio. Latet vero ratio usurarum. *a) In conuentione L. 24. L. 26. §. 1. D. depositi. b) In mora L. 24. L. 25. D. depositi.* Solus usus, quem depositarius sibi arrogat, deficiente mora et conuentione ad usuras non obligat. Quamuis enim alias in bonae fidei negotiis arbitrium iudicis eo usque valeat, ut defectum stipulationis suppleat, tamen in hoc casu contra bonam fidem et contra naturam depositi esset, usuras exigere (§. 10). Qui enim deponit, sat superque declarat, se non nisi securitatem depositi intendere. Depositarius e contra beneficium praefstat, in suscipienda pecunia. Nec beneficium in hoc casu cessat. Onus custodiae quidem per usum pecuniae compensari videtur. Periculum fortis vero quod depositarius indistincte sustinet, efficit ut non obstante usu, adhuc beneficium praefest depositarius.

§. 17.

§. 17.

III.) Quoad restitutionem non eadem nummorum corpora restituuntur, sed tantundem soluendum est. Fieri vero debet restitutio ad libitum deponentis, exhibito tamen temperamento quodam. Hinc, quamvis L. 11. C. depos. restitutionem illico faciendam esse statuat, tamen impossibile est, ut depositarius quoquis momento nummos, quibus quantitas debita inhaeret, ad manus habeat. Hinc sufficere videtur, si absque omni dolo, simulac de voluntate deponentis certior reddatur, de eiusmodi nummis comparandis laborat; argumento L.I. §. 22. D. depositi.

§. 18.

Dantur adhuc plura singularia circa depositum pecuniae qua talis, si ex. gr. IV.) depositarius eiusmodi foro cedat, deponenti non nisi inter chirographarios credores locum sibi vindicandi ius et potestas est. Saltem in regula haec thesis dubio caret. Secundum COD. FRIDER. diuersi a se inuicem sciungendi sunt casus, quos vide P. IV. Tit. 9 Sect. 2. §. 118. 138. An et quatenus vero, quoad nummularios, quorum fidei et curae pecunia numerata qua talis demandata et concredata est, exceptio obtineat, disquirit vir de jurisprudentia optime meritus IOH. VOET in eruditissimo commentario ad D. Libr. 20. tit. 4. §. 14. Sed subtilioris huius argumenti ut et corrum, quae adhuc de hac materia disputari possent enodatior inuestigatio plures requirit clepsydras, quam addere permittit temporis ratio.

Hinc filum abrumpo.



III. Quod est in primis non sicut in
fieri. Et in secundis non sicut in
ceteris. Quod est in primis non sicut in
secundis. Et in secundis non sicut in
tertius. Et in tertius non sicut in
quarto. Et in quarto non sicut in
quinto. Et in quinto non sicut in
sexto. Et in sexto non sicut in
septimo. Et in septimo non sicut in
octavo. Et in octavo non sicut in
nono. Et in nono non sicut in
decimo. Et in decimo non sicut in
undevigesimo. Et in undevigesimo non sicut in
duodecimo. Et in duodecimo non sicut in
undevigesimo. Unde etiam dicitur
ad hanc sententiam. Unde etiam dicitur
ad hanc sententiam. Unde etiam dicitur
ad hanc sententiam.

31.

Quod est in primis non sicut in
fieri. Et in secundis non sicut in
ceteris. Quod est in primis non sicut in
secundis. Et in secundis non sicut in
tertius. Et in tertius non sicut in
quarto. Et in quarto non sicut in
quinto. Et in quinto non sicut in
sextio. Et in sexto non sicut in
septimo. Et in septimo non sicut in
octavo. Et in octavo non sicut in
nono. Et in nono non sicut in
decimo. Et in decimo non sicut in
undevigesimo. Et in undevigesimo non sicut in
duodecimo. Et in duodecimo non sicut in
undevigesimo. Unde etiam dicitur
ad hanc sententiam. Unde etiam dicitur
ad hanc sententiam. Unde etiam dicitur
ad hanc sententiam.

Königsberg, Diss., 1740-99

f

ULB Halle

3

004 587 936



sb.

Pr. 15. num. 49

1771

18

DE
DEPOSITO PECVNIAE
NVMERATAE QVA
TALIS.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

QVAM
EXIGENTIBVS ACADEMIAE STATVTIS
PRO LOCO
PROFESSIONIS IVRIS ORDINARiae
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
PRAESES

WILHELMVS BERNHARDVS IESTER,
I. V. D; S. R. M. IN IUDICIO CRIMINALI CONSILIARIVS.


RESPONDENTIS OFFICIO SATISFACTVRVS EST
IVVENES INGENIO ET VIRTUTE ORNATISSIMVS
ELIAS HENRICVS BÜTTNER, REG. BOR. I. V. C.

H. L. Q. S. D. V. APRIL. clo IO CC LXXI.

OPPONENTIVM SPARTAM ORNATVRI SVNT
IVVENES LECTISSIMI ET PRAESTANTISSIMI

GEORGIVS WILHELMVS SCHREIBER, REG. BOR. I. V. C.
IOANNES THEOPHILVS KELCH, REG. BOR. I. V. C. ET
IOANNES FRIDERICVS REHE, WELAW. BOR. I. V. C.

REGIOMONTI,
STANNO REGIAE AVLICAE ET ACADEMICAe TYPOGRAPHIE



B.I.G.